

De diversis perfectionis gradibus in physica praemotione [Fortsetzung]

Autor(en): **Prado, P. Nobertus del**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie**

Band (Jahr): **16 (1902)**

PDF erstellt am: **02.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-762117>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

DE DIVERSIS PERFECTIONIS GRADIBUS IN PHYSICA PRAEMOTIONE.

Scripsit

P. NORBERTUS DEL PRADO, Ord. Praed.

Sequitur. (Vol. XVI. p. 329.)

„Deus non est causa nisi bonorum, secundum illud Genesis cap. 1 v. 31: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona.* — Si ergo a solo Deo voluntas hominis moveretur, numquam moveretur ad malum; cum tamen *voluntas sit, qua peccatur et recte vivitur*, ut Augustinus dicit lib. 2. *Retract.* cap. 9.“

„Dicendum, quod Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale obiectum voluntatis, quod est bonum; et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum vel apparens bonum. — Sed tamen, **interdum, specialiter** Deus movet **aliquos** ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his, quae movet per gratiam, ut infra dicitur.“

S. Thomas, S. th. 1. 2. qu. 9. art. 6. ad 3.

I.

1. Diximus in Lectione prooemiali,¹ quod Divus Thomas in hac famosa responsione ad 3. indicat primum et supremum gradum physicae motionis, qua Deus movet hominem ad operandum, quasi applicando intellectum et voluntatem eius ad operationem; sicut etiam artifex applicat securim ad scindendum, qui tamen interdum formam securi non tribuit. Deus enim non solum dat facultatem voluntatis et rationis hominibus, sed etiam conservat eam in **esse**, et applicat eam ad agendum, et est finis omnium actionum. Et cum *finis et agens et forma* se habeant ut actionis principium, Deus secundum haec tria in quolibet operante operatur. — Unde 1. ad Corinth. cap. 12: *Operatur omnia in omnibus.* Et ad Philipp. cap. 2: *Operatur in vobis et velle et perficere.* Et ad Hebraeos cap. 13: *Aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram se.* — (1. P. qu. 105 a. 5.)

Et quod est valde notandum, quanto Deus magis aliquos amat, magis et intensius in illis operatur; et quanto magis in suis dilectis operatur, tanto plus qui illum diligunt, illi subiiciuntur, et per hanc subiectionem magis sub eius Providentia cadunt. Unde Praedestinatio nihil aliud nisi specialissima Providentia

¹ In Ephemer. Div. Thomas ser. 1. vol. ult.

electorum, propter quos omnia facta sunt. Sic Divus Thomas lib. 3. cont. g. cap. 90: „*Quanto ergo Deus aliqua magis amat, tanto magis sub eius Providentia cadunt.* — Hoc autem et Sacra Scriptura docet dicens: *Custodit Dominus omnes diligentes se* (Psalm. 144); et etiam Philosophus lib. 10. Ethic. tradit dicens, quod Deus maxime curat de his, qui diligunt intellectum, tamquam de suis amicis.“

2. Deus etenim operatur in quolibet operante sive operatione naturae sive operatione voluntatis secundum tria praedicta, scilicet *finem et agentem et formam.* — **Finis** namque est terminus **illae viae**, quae sumitur ex gubernatione rerum; et constituit quintam viam ad demonstrandam existentiam Dei. — **Forma** autem est **illa via quarta** ad demonstrandam existentiam Dei, via, inquam, quae sumitur ex gradibus, qui in rebus inveniuntur, et per quam devenitur ad aliquid, quod est verissimum et optimum et nobilissimum et per consequens maxime **Ens**: Ens per essentiam. — **Agens** vero constituit principium in **illa via secunda**, sub qua clauditur **tertia**, quae sumitur ex ordine causarum efficientium in istis sensibilibus, et per quam datur ascendere usque ad aliquam causam efficientem primam, quam omnes Deum nominant. — Unde quinque viae ad demonstrandam existentiam Dei reducuntur ad primam viam, quae sumitur ex parte motus, et per quam necesse est devenire ad aliquod primum movens, quod a nullo movetur; et hoc omnes intelligunt Deum. — Deus ergo est Primum Movens Immovibile, a quo omnia moventur: in ratione causae efficientis, in ratione causae exemplaris et in ratione causae finalis. Necesse est itaque dicere, omne ens, quod quocumque modo est, a Deo esse: a Deo tamquam a Causa Prima Efficiente, et a Deo tamquam a Causa Suprema Exemplari, et a Deo tamquam a Causa Ultima Finali. — (1. Part. qu. 2. a. 3. et qu. 44. a. 1—4.)

3. Et quoniam Deus operatur in omni operante secundum haec tria, quae se habent ut actionis principium: *finem, agentem et formam*; et aliunde quaecumque Deus operatur, facit in numero, pondere et mensura, attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter; exinde admirari oportet semper in cunctis operibus Dei, et praesertim in operibus, quas operatur in creatura rationali, quam maxime diligit, exactam adaequationem inter omnia genera divinarum motionum; ita ut ad invicem sibi correspondeant motio Dei ut est causa efficiens, et motio Dei ut est causa formalis separata sive exemplaris, et motio Dei, ut est causa finalis — Motio Dei moventis in creatura est **motus**: id est aliquid reale causatum a solo Deo in creatura et elevans

ac perficiens ipsam creaturam sive quoad **esse suum** sive quoad **suum operari**.

4. Motio Dei moventis secundum **rationem formae** est motio divina causans in rebus creatis **formas** quae sunt principium motus, et conservans eas in **esse**. — Motio Dei moventis secundum **rationem agentis** est applicatio formarum ac virtutum rerum creaturarum ad operandum. — Et motio Dei moventis secundum **rationem finis** est inspirare desiderium sui. — Unde in omni propria operatione creaturae requiruntur haec tria: 1^o. quod habeat propriam virtutem agendi, a qua sicut a principio intrinseco rei procedat omnis motus atque operatio eius; — 2^o. quod recipiat adhuc ab ipso Deo complementum propriae virtutis; quoniam secunda causa non influit in suum effectum, nisi in quantum recipit virtutem causae primae; — 3^o. quod operetur propter aliquod bonum verum vel apparens: quod quidem non est aut non apparet bonum, nisi secundum quod participat aliquam similitudinem Summi Boni, quod est Deus.

5. Hae praedictae fundamentales motiones si inspiciantur per comparisonem ad creaturam rationalem, habebitur, quod Deus dicitur movere hominem secundum **rationem formae**, in quantum confert ei intellectum et voluntatem, quae est forma seu facultas libere agendi; et secundum **rationem finis**, in quantum movet physice intellectum creatum, dando ei virtutem ad intelligendum vel naturalem vel supernaturalem et imprimendo ei species intelligibiles; et secundum **rationem agentis**, in quantum applicat voluntatem ad volendum, interius eam inclinando. — Et sic, sive consideremus **motus** voluntatis, secundum quod movetur ab intellectu, sive secundum quod movetur a seipsa; necessario per utramque viam devenire oportet ad Unum et Idem, quod est primum in via causae efficientis, supremum in via causae formalis, et ultimum in via causae finalis. Ideoque sicut Deus propter hoc, quod est primum efficiens, agit in omni agente; ita propter hoc, quod est primum formale, omnium formarum exemplar, participatur in omni forma et operativa virtute; et similiter propter hoc, quod est ultimus finis, appetitur in omni fine, et implicite desideratur in omni bono, et amatur in omni pulchro.

6. Et quoniam inter ista tria divinarum motionum genera adest semper perfecta ac mirifica proportio, dicendum est: 1^o. quod secundum gradum perfectionis in motione Dei ut finis erit gradus perfectionis in motione Dei ut agens, et gradus perfectionis in motione Dei ut forma. — Si ergo finis, ad quem Deus vult et intendit perducere creaturam rationalem, est supernaturalis;

supernaturalis erit quoque et **applicatio** potentiae liberi arbitrii ad operandum, et **forma** ipsius liberi arbitrii, quae applicatur ad operationem. — Etenim Deus omnia disponit suaviter, atque omnibus dat formas et virtutes inclinantes in **id**, ad quod ipse movet; et illo modo Deus movet et movendo inclinatur iuxta modum ipsum formarum; eo ipso, quod et forma principium actus et virtus inclinans formam ad actum et applicatio, qua Deus applicat formam iam inclinatum per virtutem ad agendum, procedunt a Deo, suntque participationes ipsius virtutis Dei; atque per unam altera completur. Virtus perficit formam et est complementum ipsius; et divina motio perficit simul formam et virtutem et est ipsarum complementum, dum perducit potentiam operativam creaturae rationalis ad ultimum actum.

7. Exinde cum finis, ad quem intendit Deus applicans potentiam voluntatis ad agendum ipsam elevare, est supra vires naturales, quae continentur in virtute operativa liberi arbitrii; tunc conferuntur **formae naturali** aliae formae superadditae et virtutibus acquisitis virtutes infusae; atque inter istas virtutes infusas reperiuntur quoque gradus perfectionis in modo inclinandi ad ipsas operationes supernaturales: ex quo habetur scientifica ratio distinguendi inter virtutes infusas et dona Spiritus Sancti. — Quamobrem Divus Thomas 2^a. 2^{ae}. qu. 23. a. 2: „Oportet, quod si voluntas moveatur a Spiritu Sancto ad diligendum, etiam ipsa sit efficiens suum actum. Nullus autem actus perfecte producitur ab aliqua potentia activa, nisi sit ei connaturalis per aliquam formam, quae sit principium actionis. — Unde Deus, qui omnia movet ad debitos fines, singulis rebus indidit formas, per quas inclinatur ad fines sibi praestitutos a Deo; et secundum hoc *disponit omnia suaviter*, ut dicitur Sapient. cap. 8. — Manifestum est autem, quod actus caritatis excedit naturam potentiae voluntatis. Nisi ergo aliqua forma superaddatur naturali potentiae, per quam inclinaretur ad dilectionis actum, esset actus iste imperfectior actibus naturalibus et actibus aliarum virtutum; nec esset facilis et delectabilis. Quod patet esse falsum; quia nulla virtus habet tantam inclinationem ad suum actum, sicut caritas, nec aliqua ita delectabiliter operatur. — Unde maxime necesse est, quod ad actum caritatis in nobis existat aliqualis habitualis forma superaddita potentiae naturali, inclinans ipsam ad caritatis actum et faciens prompte et delectabiliter operari.“ — Videatur etiam 1. Sent. dist. 17. qu. 1. a. 1. et 4. et Qu. Disp. de Carit. qu. unica a. 1.

8. Inter omnes autem formas supernaturales, quas Deus infundit, ut homo possit **operari** conformiter ad **esse** gratiae

gratum facientis, nobilissima omnium est caritas, ad cuius actum ordinantur ceterae virtutes theologicae et omnes virtutes morales infusae et ipsamet dona Spiritus Sancti. — Caritas enim est excellentissima virtutum, quas omnes ordinat ad finem suum, omnibusque suam propriam formam imponit; atque actus caritatis nihil in ordine actuum agnoscit tamquam superius nisi visionem Divinae Essentiae, qua videbimus Deum facie ad faciem, sicuti est, et similes ei erimus per consummationem gratiae, cum per visionem gloriae participabimus *ipsam aeternitatem*, quae est Deus. — Quapropter Divus Thomas 2^a. 2^{ae}. qu. 23. a. 8.: „*Per caritatem ordinantur actus omnium aliarum virtutum ad ultimum finem.*“ Et Qu. Disp. de carit. qu. unica a. 2. ad 17.: „*Circa amorem Dei non inest aliqua imperfectio, quam oporteat per aliquod donum perfici: unde caritas non ponitur donum virtutis, quae tamen excellentior est omnibus donis.*“

9. Unde finis omnium divinarum motionum est conversio creaturae rationalis in Deum; et illa motio est perfectior, quo magis appropinquamus Deo et Deus appropinquat nobis. Deus enim appropinquat nobis nos movendo ad ipsum, et nos Deo appropinquamus ab ipso Deo moti; in Deo enim vivimus, movemur et sumus. Sic Divus Thomas lib. 3. contra gentes cap 116.: „*Adhaesio igitur amoris ad Deum est potissimus modus adhaerendi . . . In omnibus autem, quae moventur ab aliquo primo movente, tanto aliquis perfectius movetur, quanto magis participat de motione primi moventis et de similitudine ipsius. Deus autem, qui est legis divinae dator, omnia facit propter suum amorem. — Qui igitur tendit in ipsum, scilicet amando, perfectissime movetur in ipsum. — Omne autem agens intendit perfectionem in eo quod agit. — Hic igitur est finis totius legislationis, ut homo Deum amet.*“

10. En regula ad iudicandum de perfectione physicae motionis, qua Deus ut agens movet creaturam rationalem ad ipsum ut finem. Nam Deus omnia movendo convertit ad seipsum. — Itaque dicemus primo *de distinctione divinarum motionum in genere*, secundo *de distinctione physicae motionis*.

II.

De distinctione divinarum motionum in genere.

11. Conclusio prima: *Omnes divinae motiones convenienter reducuntur ad tria genera, videlicet secundum rationem causae efficientis, exemplaris ac finalis.*

Ratio prima. — Deus est Primum Movens Immobile, quod a nullo movetur, et a quo omnia moventur. — Atqui Deus est

Primum Movens Immobile in via causarum efficientium et in via causarum formalium et in via causarum finalium. — Omnes namque ac singulae causae efficientes ab Illo causantur et ab Illo habent, quod possint causare, et quod actualiter causent. Similiter omnes ac singulae causae formales ab Illo participant divinam quamdam perfectionem, et ab Illo habent, quod formaliter constituent **esse specificum** rerum, quae per formam illis intrinsecam sunt **entia, una, vera et bona**. Ac pariter omnes ac singulae causae finales ab Illo recipiunt, quod possint inspirare desiderium sui, et quod diffundant bonitatem, quam a Deo Summo Bono acceperunt, unaquaeque iuxta mensuram suam. — Haec sunt illae quinque viae, quibus **Deum esse** probari potest: quae reducuntur ad tres iuxta triplex genus causarum; et quae resolvuntur in primam viam sumptam ex parte motus. Motio enim moventis in mobile est motus. — 1. P. qu. 2. a. 3.

12. Ratio secunda. — Modus movendi convenienter distinguitur atque dividitur secundum distinctionem ac diversitatem in modo causandi. — Sed ut Divus Thomas ex professo demonstrat 1. P. qu. 44, Deus eo ipso quod est *Ens per essentiam*, est causa efficiens et causa exemplaris et causa finalis omnium entium *per participationem*. — Entia enim per participationem diversificantur secundum diversam participationem **essendi** et **operandi** receptam ab Uno Primo Ente, quod perfectissime est, et est causa omnis entis, omnis veri, et omnis boni. — In hac qu. 44. clauduntur quinque viae, quibus **Deum esse** probari potest, quasque Angelicus Doctor pulcherrime exaraverat in qu. 2. a. 3. — Et istae quinque viae clausae iam per unitatem Principii causalitatis, perveniunt ad ultimum ipsarum terminum, in quo demonstratio existentiae Dei totaliter perficitur, in qu. subsequenti 45. a. 2., dum Divus Thomas respondet dicendum, quod „*Non solum non est impossibile a Deo aliquid creari ex nihilo, sed necesse est ponere a Deo omnia creata esse.*“

13. Ratio tertia. — Quatuor sunt causarum genera: materialis, formalis, efficientis et finalis. **Materia** tamen, etsi dicatur causa, non est principium actionis, sed se habet ut subiectum recipiens actionis effectum. Unde dumtaxat **finis, forma et agens** se habent ut actionis principium; sed ordine quodam. — Nam primum quidem principium actionis est **finis**, qui movet agentem; secundo vero **agens**; tertio autem **forma**, quod ab agente applicatur ad agendum, quamvis et ipsum agens per formam suam agat. — Atqui secundum haec tria Deus in quolibet operante operatur: ut Divus Thomas ex professo declarat 1. P. qu. 105. a. 5. — Ex quibus apparet, quod controversia *de*

influxu Dei in creaturas non potest disiungi a magnis quaestionibus de **existentia Dei** et de **processione** omnium rerum a Deo per creationem.

14. Conclusio secunda: *Aliquando per unam solam numero motionem Deus simul agit secundum rationem agentis et formae.*

Ratio prima. — Agere secundum rationem formae in creaturas est dare creaturis formas eis intrinsecas et modo permanenti, per quas tamquam per propriam virtutem operentur. Etenim sic semper intelligendum est, Deum operari in rebus, quod tamen ipsae res propriam habeant operationem. — Agere autem secundum rationem agentis in creaturas est applicare ad agendum ipsas formas creaturis intrinsecas per modum permanentis collatas; nam **applicare** formas creaturarum ad agendum nihil aliud nisi conferre ipsis formis complementum suae activitatis coniungendo illas ad actiones proprias. Unde applicare est etiam dare **formam**, sed ultimam formam ipsarum formarum; formam, inquam, per modum transeuntis, et quae cessat cessante operatione, cuius est principium immediatissimum immediatione virtutis. Virtus enim Causae Primae vehementius ingreditur in effectum quam virtus causae secundae, quae operatur immediatius immediatione suppositi.

Iam vero Deus, dum creavit angelos, dum creavit etiam primos parentes, et dum creavit animam hominis Christi, simul contulit illis cum essentia et existentia: 1^o. facultatem liberi arbitrii, quae est facultas voluntatis et rationis; 2^o. formas superadditas potentiae liberi arbitrii, id est virtutes infusas, scilicet fidem, spem ac caritatem homini et angelo, et caritatem Christo Domino, in quo, utpote comprehensore iam Divinae Essentiae, non relinquebatur locus fidei nec spei; 3^o. actus fidei, spei et caritatis in angelis et in Adamo et actum caritatis in anima sanctissima Domini nostri Iesu Christi.

Ergo una sola motionem Deus contulit et formam naturalem agendi, scilicet liberum arbitrium, et formam supernaturalem, nempe caritatis habitum; et actum liberi arbitrii informati caritate, nimirum **dilectionem Dei**. — Deus enim fecit angelos et primum hominem, et hominem Christum actualiter et libere tendentes in ipsum Deum per motum liberi arbitrii, qui est *amare* seu *diligere*.

15. Ratio secunda. — In iustificatione impii, ut dictum manet supra qu. 113.¹ sunt simul tempore, etsi ordine naturae unum eorum sit prius altero, haec quatuor: 1^o. gratiae infusio;

¹ Ephem. Divus Thomas, ser. 2.

2^o. motus liberi arbitrii in Deum per fidem et caritatem; 3^o. motus liberi arbitrii in peccatum; 4^o. remissio culpae.

Sed una est numero motio Dei moventis, scilicet gratiae infusio; et plures effectus, qui constituunt terminum huius motus in potentia liberi arbitrii, scilicet *formas* seu habitus fidei et caritatis, et simul actus liberi arbitrii informati per fidei et caritatis virtutes. — Quibus adhuc oportet addere alium motum seu actum liberi arbitrii per dolorem in peccatum, qui est actus virtutis infusae poenitentiae.

Ergo patet, quomodo Deus simul operatur in creatura rationali operante et dando **formam** per modum permanentis et applicando hanc formam ad actum, qui est per modum transeuntis et cessat cessante applicatione facta a Deo secundum rationem agentis.

Unde transmutatio, quae fit in homine a Deo per infusionem gratiae, est **una**, si consideretur motio Dei moventis, quae est infusio gratiae sanctificantis et virtutum infusarum. — Est multiplex **motus**, ratione potentiarum, in quibus infunduntur habitus virtutum; et multiplex terminus motus in unaquaque potentia, cum motio Dei moventis efficiat simul tamquam effectus et terminos distinctos: 1^o. ipsas formas permanentes quoad **esse** et **operari** supernaturaliter: gratiam scilicet et caritatem cum ceteris virtutibus; 2^o. ipsas formas transeuntis, videlicet operationes liberi arbitrii, dum homo credit, diligit et dolet.

16. Conclusio tertia: *Motio Dei secundum rationem formae potest dici duplex ex parte modi, quo respicit terminum; et similiter motio Dei secundum rationem agentis potest etiam dici duplex ex parte modi, quo terminatur ad effectum.*

Declaratur. — Motio Dei moventis creaturam secundum rationem formae nihil aliud est nisi motio, qua Deus tribuit creaturis virtutem operandi, et motio, qua illam Deus conservat in esse. — Sed alius est modus, quo Deus movet, in quantum dat virtutem; et alius, quo Deus movet, in quantum virtutem operandi iam collatam conservat. — Etenim licet ex parte Dei non sint cogitandae duae distinctae actiones, una, qua tribuit virtutem operandi, et altera, qua conservat ipsam operandi virtutem; attamen **collatio** virtutis operativae non supponit ipsam virtutem existentem, et **conservatio** virtutem operantem, quam tenet in **esse**, iam ut existentem subaudit. — Consequenter iste duplex modus potest dici unus et potest dici duplex: unus ex parte principii, scilicet Dei moventis; et etiam ex parte termini, scilicet virtutis operativae. Duplex autem propter diversum respectum ad eundem terminum motus. — Ea quippe ratione,

qua creatio differt a conservatione rei creatae; et tamen verum quoque est, quod conservatio est continuata creatio.

17. Pariter motio Dei moventis creaturas secundum rationem agentis nihil aliud est nisi motio, qua Deus applicat virtutem activam creaturae ad actionem, et motio, qua Deus simul cum virtute creaturae applicatae ad agendum et mediante ipsa creaturae potentia operatur eandem operationem et eundem effectum. — Sed alius est modus, quo Deus movet, in quantum applicat virtutem actioni; et alius modus, quo Deus movet, in quantum virtuti iam coniunctae ad suam actionem cooperatur intrinsece. — Etenim quamvis ex parte Dei sit eadem motio, attamen **applicatio** non supponit virtutem operativam creaturae iunctam cum suo actu, et cooperatio virtutem cooperativam coniunctam cum actu subaudit. Et praeterea terminus motionis, quae est applicatio, est complementum virtutis activae creaturae; et a Deo solo effectum; et terminus motionis, quae est cooperatio, est ipsamet operatio creaturae, quae tota est a creatura et tota simul a Deo. A Deo per potentiam creaturae; a creatura autem per suam propriam potentiam completam in ratione virtutis activae per virtutem Dei. — A Deo, inquam, immediatius quam a creatura, si immediatio virtutis attendatur; a creatura vero immediatius quam a Deo, si immediatio suppositi coagentis consideretur.

18. Corroboratur conclusio. — Ex Divo Thoma de Potent. qu. 3. a. 7, ubi hos praedictos quatuor modos, quibus Deus operatur in omni operante, distincte describit, et postquam ipsorum rationem perpendendo exposuit, concludit: „*Sic ergo Deus est causa actionis cuiuslibet, in quantum dat virtutem agendi; et in quantum conservat eam; et in quantum applicat actioni; et in quantum eius virtute omnis alia virtus agit. — Et cum coniunxerimus his, quod Deus sit sua virtus, et quod sit intra rem quamlibet non sicut pars essentiae, sed sicut tenens rem in esse; sequetur, quod ipse in quolibet operante immediate operetur, non exclusa operatione voluntatis et naturae.*“

19. Conclusio quarta: *Motio Dei, qua Deus dat creaturae virtutem operandi, et motio, qua conservat virtutem operativam in esse suo, potest dici una motio; et pariter motio Dei, qua Deus applicat virtutem propriam creaturae ad agendum, et motio, in cuius virtute omnis alia virtus creaturae agit, potest etiam dici una motio.*

Ratio prima. — Quia ex parte Dei una et eadem est actio, qua confert virtutem operandi creaturis, et qua illam conservat. Et ex parte termini eadem est virtus operandi, quae confertur, et quae in esse suo conservatur.

Similiter ex parte Dei moventis una et eadem est motio, qua virtus operativa creaturae applicatur ad agendum, et qua, semel applicata suae propriae actioni, agit. — Ex parte virtutis collatae per applicationem Primi Agentis eadem est **virtus**, quae complet virtutem propriam creaturae, et **virtus**, qua iam completa virtus propria creaturae agit.

20. Ratio secunda. — Quoniam Divus Thomas 1. P. qu. 105. a. 5. dare formas rebus et conservare eas in esse reducit ad unum modum, secundum quem Deus dicitur operari in quolibet operante in ratione **formae**. — Ac pariter alios duos modos, iuxta quos Deus et applicat virtutem propriam creaturae ad actionem et cooperatur intrinsece ipsi virtuti operativae creaturarum, etiam reducit ad unum, nempe secundum rationem **agentis**; et quem vocat *applicationem* virtutis creatae ad operandum.

21. Conclusio quinta: *Concursus simultaneus in doctrina Divi Thomae nihil commune habet, quoad rem significatam, cum concursu simultaneo, quem tradit ac propugnat Molina.*

Primo: quoniam **conkursus simultaneus** in doctrina Divi Thomae praesupponit necessario **conkursum praevium**, id est applicationem, qua Deus applicat virtutem operativam creaturae ad agendum. — Quam quidem applicationem, ut postea ostendetur, reiicit Molina et ipse ingenue fatetur non intelligere.

Secundo: quoniam **conkursus simultaneus** in doctrina Divi Thomae minime se habet ad instar **conkursus paralleli** et quasi ab extrinseco respectu concursus creaturae, ut docet Molina; sed intrinsece cooperatur cum virtute creaturae et per creaturae potentiam pervadens totam creaturae potentiam, quam conservat, in ipso actu, quocum potentia per concursum praevium fuit coniuncta.

Tertio: quoniam modus cooperandi per concursum simultaneum Molinae iam praedamnatus fuerat ab ipso Angelico Doctore in opusculo *contra errores Graecorum* lib. 1. cap. 23. — De quo postea.

Quarto: quoniam **virtus divina**, qua virtus propria creaturae agit, et qua coniungitur cum suo proprio effectu, qua applicatur ad agendum et qua applicat se, qua movetur et qua movet, est una et eadem virtus, scilicet *illa vis, qua agit ad esse, ut instrumentum Primae Causae*. — Quae quidem vis est forma complens formam propriam creaturae, et **id, quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat**. — Atque huiusmodi forma seu vis divina datur per modum transeuntis et cessat cessante actu.

22. Unde Divus Thomas, dum istos duos modos operandi, quos distinxerat de Pot. qu. 3. a. 7., ad unum modum reducit

in Summa Theologica 1. P. qu. 105. à. 5. et vocat illum per modum **agentis** et semper denominat *applicationem*, qua Deus applicat virtutem creaturae ad operandum. — Etenim de hac celeberrima **applicatione** controvertitur, et in *applicatione ista* stat punctum difficile quaestionis et caput ceterorum, quae inter Molinam ac Divum Thomam dividunt et separant. — Quamobrem non absque ratione Angelicus Doctor est semper sollicitus de **hac applicatione**, quae deinceps intelligenda veniet, quotiescumque de physica praemotioe loquemur. — Concursus enim simultaneus in doctrina Divi Thomae est **illa virtus Dei**, qua omnis alia virtus agit; et huiusmodi divina virtus est continuatio ipsius **divinae virtutis**, qua Deus applicat actioni virtutem propriam ac permanentem creaturarum. — Concursus itaque simultaneus est ipsemet influxus praevious continuatus, sic ut conservatio dicitur continuata creatio.

III.

De distinctione physicae motionis.

23. Conclusio prima: *Physica praemotio, considerata per respectum ad determinationem rationis, convenienter distinguitur in tres diversos gradus perfectionis.*

Huiusmodi diversi gradus sunt tres illi, quos Divus Thomas indicat 1. 2. qu. 9. a. 6. ad 3. — Quorum primus est **motus** creaturae rationalis ad universale obiectum voluntatis; alter est **motus** voluntatis ad hoc vel illud particulare bonum volendum in ordine naturae; et tertius est **motus** voluntatis ad aliquid determinate volendum in ordine gratiae.

Primus motus est ante determinationem rationis deliberantis; secundus motus est per determinationem rationis; et tertius motus est supra ipsam rationis determinationem, quoniam consequitur ad ipsam rationem Divinae Sapientiae.

Primus est motus naturalis ac necessarius voluntatis; secundus est motus rationalis ac liber; tertius est motus quidem liberi arbitrii, sed ad instar motus naturalis productus, per modum simplicis volitionis.

In primo motu voluntas est mota et non movens, solus autem Deus movens; in secundo motu voluntas est movens et a Deo mota; in tertio denique motu voluntas non se movet, sed a solo Deo movetur.

24. Conclusio secunda: *Physica praemotio, si consideretur per ordinem ad perfectionem mobilis, quod est facultas voluntatis et rationis, convenienter dividitur etiam in tres diversos perfectionis gradus.*

Perfectio mobilis, in quantum est mobile, in rationali creatura, nihil aliud est nisi perfectio liberi arbitrii (quae est facultas voluntatis et rationis), qua disponitur ad hoc, quod bene moveatur a suo Motore, qui est solus Deus.

Sed potentia liberi arbitrii dupliciter est perfecta a Deo: primo quidem naturali perfectione, secundum scilicet lumen naturale rationis; alio autem modo quodam supernaturali, perfectione per virtutes theologicas. — Et quamvis haec secunda perfectio sit maior quam prima, tamen prima perfectiori modo habetur ab homine quam secunda. Nam prima habetur ab homine quasi plena possessione; secunda autem habetur quasi possessione imperfecta, imperfecte enim diligimus et cognoscimus Deum.

Exinde perfectio supernaturalis liberi arbitrii, qua homo disponitur ad hoc, quod bene moveatur a suo Motore, qui est Deus, iuxta formas supernaturales virtutum theologicarum, participatur in anima secundum diversos gradus perfectionis: uno modo per virtutes morales infusas, et altiori adhuc modo per virtutes infusas superioris generis, quae vocantur dona Spiritus Sancti.

Ergo triplex est perfectio, qua potentia liberi arbitrii potest esse disposita ad hoc, quod bene moveatur a suo Motore, qui est solus Deus, videlicet *perfectio*, qua ex virtutibus moralibus acquisitis vires appetitivae perficiuntur ad obediendum rationi, et per rationem totus homo Deo; *perfectio*, qua ex virtutibus moralibus infusis vires appetitivae ad obediendum rationi iam lumine supernaturali fidei adiutae, et per rationem ac fidem, quae per caritatem operatur, Deo; et *perfectio*, qua omnes vires animae disponuntur ad hoc, quod subdantur adhuc promptius atque excellentius Divinae motioni, secundum quam movetur homo altiori modo per dona Spiritus Sancti.

25. Magis declaratur conclusio. — Caietanus 1. 2. qu. 68. a. 1. sic breviter exponit praefatam Divi Thomae doctrinam. — Ad pleniorum intellectum scito, quod imaginamur, quod in homine est triplex subordinatum movens, scilicet: 1^o. mens humana, praedita lumine naturali et prudentia; 2^o. mens humana, praedita lumine gratiae et fidei; 3^o. mens humana, pulsata instinctu Spiritus Sancti.

Et ad hoc, ut vires animae obediunt primo motori, ponuntur virtutes morales acquisitae, tendentes ad media et fines ab ipso motore praestitutos. — Ad hoc autem, ut eadem vires obediunt secundo motori superiori, ponuntur virtutes morales infusae, tendentes ad media et fines ab illo motore praestitutos. — Ad hoc autem, quod non solum eadem, sed omnes vires animae

obediunt supremo motori, ponuntur dona, tendentia in fines proprios a tali motore ostensos. — Necessitas autem distinguendi **duos ordines** habituum infusorum ad obediendum assignatur a Divo Thoma *ex imperfecta participatione* motoris supernaturalis per habitus virtutum theologicarum.

Tres sunt itaque diversi gradus perfectionis in physica praemotioe distinguendi, secundum quod potentia liberi arbitrii diversimode disponitur et disposita subiicitur divinae motioni per prudentiam naturalem, per virtutes morales infusas et per dona Spiritus Sancti. —

26. Conclusio tertia: *Physica praemotio, qua homo iustus movetur a Deo ad meritorie operandum per usum habituum supernaturalium, tam virtutum, quam donorum, convenienter dividitur in tres diversos gradus perfectionis.*

Ratio prima. — Convenienter distinguuntur tres diversi gradus in augmento ac perfectione caritatis, iuxta quod caritas nata nutritur, nutrita autem roboratur, roborata vero perficitur; et secundum quod habens caritatem nutriendam, roborandam ac perficiendam, primo dum incipit, magis sentit suam sollicitudinem *de vitiatione peccatorum*; deinde dum proficit, principalior est ei cura *de profectu virtutum*; ac postremo dum in caritate incipit esse perfectus, studium ipsius circa hoc maxime versatur, *ut Deo inhaereat.* — 2. 2. qu. 24. a. 9.

27. Ratio secunda. — Tres sunt quoque gradus, quibus convenienter distinguuntur virtutes morales infusae, non quidem distinctione secundum essentiam, sed secundum statum et actus perfectionem; et distinguuntur secundum diversitatem **motus** et **termini**; ita scilicet quod quaedam sunt virtutes incipientium, quibus incumbit studium principale ad recedendum a peccato et ad resistendum concupiscentiis eius, quae in contrarium caritatis movent. — Quaedam vero sunt virtutes transcendentium et in Divinam similitudinem tendentium. — Quaedam autem sunt virtutes iam assequentium divinam similitudinem; quas quidem virtutes dicimus esse beatorum vel aliquorum in hac vita perfectissimorum. — 1. 2. qu. 61. a. 5; 2. 2. qu. 183. a. 4; 2. 2. qu. 159. a. 2. ad 1.

28. Conclusio quarta: *Physica praemotio, si consideretur per comparisonem ad potentiam liberi arbitrii, convenienter dividitur in motum, qui est actus imperfecti, et in motum, qui est actus perfecti.*

Ratio prima. — Omne, quod procedit de potentia in actum, prius pervenit ad actum incompletum, qui est medius inter potentiam et actum, quam ad actum perfectum. — Sed potentia liberi

arbitrii, dum procedit de potentia in actum, accipit a Deo per physicam praemotionem: 1^o. *complementum* suae propriae virtutis operativae; 2^o. *coniunctionem* suae propriae virtutis cum suo proprio effectu seu operatione, in quam causandam vehementius ingreditur Deus physice praemovens quam ipsa virtus operativa liberi arbitrii. -- Ergo liberum arbitrium creaturae per physicam praemotionem acquirit: 1^o. *actum*, qui est medius inter ipsum ut est potentia et ipsum ut est actio; 2^o. *actum*, qui est terminus liberi arbitrii se moventis sub physica Dei motione. — Consequenter physica motio, quae in potentia liberi arbitrii est **motus**, convenienter dividitur per respectum ad ipsam potentiam, quam perficit, in actum liberi arbitrii imperfecti et in actum liberi arbitrii perfecti. (1. P. qu. 79. a. 8. et qu. 85. a. 3.)

29. Ratio secunda. — Divus Thomas de Div. Nominib. cap. 4. lect. 7: „Considerandum est autem, quod, sicut dicit Philosophus in 3. de Anima, duplex est motus. Unus, qui est actus imperfecti, id est existentis in potentia, et talis est motus rerum corporalium, quae secundum hoc moveri dicuntur, sive secundum substantiam sive secundum quantitatem sive secundum qualitatem sive secundum locum, in quantum exeunt de potentia in actum. — Alius autem est motus perfecti, secundum quod ipsa operatio existentis in actu manens in ipso operante motus dicitur, ut sentire, intelligere, velle.“

Et lib. 3. de anima lect. 12: „Et quia motus, qui est in rebus corporalibus, de quo determinatum est in lib. Physicorum, est de contrario in contrarium, manifestum est, quod **sentire**, si dicatur motus, est alia species motus ab ea, de qua determinatum est in lib. Physic. — Ille enim motus est actus existentis in potentia: quia videlicet recedens ab uno contrario, quamdiu movetur, non attingit alterum contrarium, quod est terminus motus, sed est in potentia. Et quia omne quod est in potentia in quantum huiusmodi, est imperfectum; ideo ille motus est actus imperfecti. — Sed iste motus est actus perfecti: est enim operatio sensus iam facti in actu per suam speciem. Non enim sentire convenit sensui nisi in actu existenti; et ideo iste motus simpliciter est alter a motu physico. Et huiusmodi motus dicitur proprie operatio, ut sentire, intelligere et velle. — Et secundum hunc motum anima movet seipsam secundum Platonem, in quantum cognoscit et amat seipsam.“ — Vide lib. 1. lect. 6.

Et lib. 2. Sent. dist. 11. qu. 2. a. 1: „Secundum Philosophum operatio et motus differunt: operatio enim est actus perfecti, ut lucidi lucere, et intellectus in actu intelligere; sed motus est actus imperfecti tendentis in perfectionem; et ideo id, quod est

in sua ultima perfectione, habet operationem sine motu sicut Deus, quod autem distat ab ultima perfectione, habet operationem coniunctam motui; quia proficere in beatitudinem est quidam motus naturae tendentis in perfectionem; et ideo quandocumque angelus vel homo ponitur in ultima sua perfectione, operatio eius non est meritoria nec proficiens.“

Et lib. 1. de anima lect. 6: „Appetere et velle et huiusmodi non sunt motus animae, sed operationes. Motus autem et operatio differunt; quia motus est actus imperfecti, operatio vero est actus perfecti . . . Operatio enim non facit distare, sed perficit operantem; sed in motu oportet, quod sit exitus.“

De anim qu. unica a. 7. ad 3: „Motus reducitur ad genus et speciem eius, ad quod terminatur motus: in quantum eadem forma est, quae ante motum est tantum in potentia; in ipso motu, medio modo inter actum et potentiam; et in termino motus, in actu completo.“

3. P. qu. 78. a. 2. ad 4. (supplem.): „Motus non accipit speciem a termino a quo, sed a termino ad quem.“

Lib. 1. Sent. dist. 37. qu. 4. a. 1: „Successio in intellectu angeli largo modo dicitur motus. Differt tamen a motu proprie dicto in duobus ad minus. Primo, quia non est de potentia in actum, sed de in actu in actum. Secundo, quia non est continuus. Et similis ratio est de successione affectionum.“

3. P. qu. 21. a. 1. ad 3: „Ascensio nihil est aliud quam motus in id, quod est sursum. Motus autem, ut habetur lib. 3. de anima, dupliciter dicitur: uno modo proprie, secundum quod importat exitum de potentia in actum, prout est actus imperfecti . . . Alio modo dicitur motus, qui est actus perfecti, id est existentis in actu, sicut intelligere et sentire dicuntur quidam motus.“

3. P. qu. 62. a. 4: „Virtus principalis agentis habet permanens et completum **esse** in natura; virtus autem instrumentalis habet **esse** transiens ex uno in aliud et incompletum, sicut motus est actus imperfectus ab agente in patiens.“

Et rursus ibidem ad 2: „Sicut motus eo, quod est actus imperfectus, non proprie est in aliquo genere, sed reducitur ad genus actus perfecti, sicut alteratio ad qualitatem; ita virtus instrumentalis non est proprie loquendo in aliquo genere, sed reducitur ad genus et speciem virtutis perfectae.“

Et iterum ibidem ad 3: „Virtus instrumentalis acquiritur instrumento ex hoc ipso, quod movetur ab agente principali.“

Et de Veritate qu. 22. a. 5. ad 8: „Forma recepta in aliquo non movet illud, in quo recipitur; sed ipsum habere talem

formam est *ipsum motum esse*; sed movetur ab exteriori agente; sicut corpus, quod calefit per ignem, non movetur a calore recepto, sed ab igne.“

Quodlib. 4. a. 9: „Duplex est actio. Quaedam, quae fit cum motu: et talis actio semper est cum aliqua innovatione; quia semper in motu aliquid fit et aliquid desinit esse, in quantum acceditur ad terminum et receditur a termino . . . Alia autem actio est, quae est sine motu, per simplicem communicationem formae . . .“

Libr. 1. Sent. dist. 8. qu. 3. a. 1. ad 4: „In omnibus, in quibus operatio differt a substantia, oportet esse aliquem modum motus ex hoc, quod exit de novo in operationem; quia acquiritur in ipso operatio, quae prius non erat.“

Lib. 1. Sent. dist. 8. qu. 4. a. 3. ad 3: „Actio, secundum quod est praedicamentum, dicit aliquid fluens ab agente cum motu; sed in Deo non est aliquid medium secundum rem inter ipsum et opus suum; et ideo non dicitur agens actione, quae est praedicamentum, sed actio sua est substantia.“

30. Haec omnia placuit in unum colligere, quoniam ex illis possunt inferri quaecumque sunt necessaria ad intelligendum, quid sit physica praemotio, prout recipitur in potentia liberi arbitrii, in qua motio Dei moventis est motus.

Primo: nomen **motus** fuit translatus ex rebus corporalibus ad res spirituales; ex transmutatione corporis de contrario in contrarium, ad transitum animae de potentia in actum.

Secundo: Licet differant operatio et motus, tamen omnis operatio animae potest dici **motus** per respectum ad supremam operationem, in qua consistit beatitudo, quae est ultima perfectio.

Tertio: Exinde de ratione motus est **actus**; sed actus mixtus potentiae; quia est actus entis in potentia prout in potentia. — Consequenter motus exprimit aliquid perfectum, in quantum importat recessum a potentia, id est a termino a quo, et veluti quamdam inchoationem illius perfectionis acquirendae in termino ad quem. — Importat tamen simul in subiecto mobili aliquid imperfectum, in quantum supponit subiectum adhuc in potentia, adhuc in via, et quasi tendens in perfectionem, in qua debet quiescere.

Quarto: In omni operatione creaturae, etsi fiat in instanti, semper adest aliqua ratio motus: 1^o. quia dicit aliquid fluens ab agente in patiens cum motu; 2^o. quia supponit aliquam innovationem in operante, quod movet motum et agit actum.

Quinto: Idcirco in omnibus motibus seu operationibus liberi arbitrii, quae fiunt a Deo per gratiam operantem, etsi fiant in

instanti et non successive; attamen est semper aliquis modus motus ex hoc, quod potentia liberi arbitrii exiit de novo in operationem et elevatur supra seipsam.

Sexto: In omnibus motibus liberi arbitrii, sive fiant in instanti sive successive, sive per gratiam operantem sive per gratiam cooperantem, sive voluntas sit movens et mota, sive mota solummodo et Deus solus movens; semper semperque est **aliquid medium** secundum rem inter potentiam operandi et suam propriam operationem. — Et hoc aliquid medium vocatur physica praemotio, quae in potentia liberi arbitrii est **motus**; et huiusmodi motus, tam in ordine naturae quam gratiae, est **illa vis**, qua omnis creatura operatur ad **esse** velut instrumentum Primi Agentis.

Septimo: Huiusmodi **vis** activa est quid divinum complens potentiam operativam creaturae et inchoans ipsius operationem. — Est quid medium inter potentiam liberi arbitrii et actum liberum; est virtus faciens transire virtutem activam voluntatis de potentia in actum.

Octavo: Huiusmodi **vis** est semper **quid ultimum** in linea potentiae operativae voluntatis et **quid primum** in linea voluntariae operationis; et tamen nec est ipsa operatio nec ipsa voluntas.

Nono: Unde huiusmodi **vis** est magis propinqua ad actum liberae voluntatis quam ipsa voluntas et quam omnes habitus sive acquisiti sive infusi, per quos voluntas perficitur ad operandum.

31. Unde sic **ratio secunda** conclusionis instruitur. — Physica praemotio, per comparisonem ad potentiam liberi arbitrii considerata, dupliciter perficit illam: 1^o. *in quantum, complendo virtutem activam ipsius*, facit illam tendere ad suam propriam operationem; 2. *in quantum se habet in ratione principii activi* intrinsece cooperantis ipsae liberae voluntati, dum elicit liberum velle. — Sub primo respectu physica praemotio est **actus** liberae voluntatis tendentis in propriam operationem: **actus imperfecti**, actus entis in potentia prout in potentia. — Sub altero respectu, physica praemotio est virtus divina, qua virtus propria voluntatis agit et prorumpit in actum: ac proinde causa principalior liberae operationis quam ipsa voluntas propria virtute operans. Et sic praemotio physica est **motus**, qui est **actus perfecti**.

Unde perfectum et imperfectum se habent ex parte voluntatis, in qua recipitur velut in subiecto physica praemotio. Physica autem praemotio immediate perficit ipsam potentiam; et deinde perficit causando operationem mediante potentia, quam elevat de posse agere ad actualiter agere.

IV.

32. Si ergo nunc consideretur physica Dei praemotio per comparationem ad creaturam rationalem, in quantum **potest**¹ deficere et aliquando deficit, in suo proprio motu peccando; sic possunt etiam diversi gradus divinae motionis convenienter distingui.

Primus gradus est physicae motionis illius, qua Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale obiectum voluntatis, quod est bonum; et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle.

Secundus gradus est illius physicae motionis, qua Deus, etiam ut Auctor naturae et universalis motor omnium voluntatum, movet liberum arbitrium hominis, *cum homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud*, quod est vere bonum vel apparens bonum.

Tertius gradus est illius motionis qua Deus, ut Auctor ordinis supernaturalis est, movet liberum arbitrium hominis, praeparando peccatorem ad lumen gratiae habitualis suscipiendum et iustificando illum per infusionem ipsius gratiae sanctificantis et caritatis; qua homo convertitur ad Deum sicut ad specialem finem, quem intendit et cui cupit adhaerere sicut proprio bono.

Quartus gradus est etiam gratuita motionis, qua Deus movet physice hominem iustum ad recte agendum et ad utendum habitibus infusis gratiae et virtutum.

Quintus gradus est illius supremae atque excellentissimae motionis, qua Deus ita superabundanter movet liberum arbitrium hominis spiritualis, ut liberum arbitrium sit motum et non movens, Deus autem solus movens, et solus movens liberum arbitrium, in quantum est mobile optime dispositum per dona Spiritus Sancti.

33. *Primus gradus* physicae motionis est, qua homo movetur ad bonum in communi, ad agendum et volendum omnia propter ultimum finem formaliter sumptum, et ad appetendum omnia, ad quae voluntas de necessitate movetur. — Huiusmodi actus voluntatis est necessario bonus, illa videlicet bonitate, quae substernitur reliquis bonitatibus in actu humano. Voluntas naturaliter movetur in tali motu: elicit actum, sed non movet seipsam, agendo. — Hic non relinquitur locus peccato.

Secundus gradus physicae motionis est, qua homo fit potens ad determinandum seipsum agendo per consilium rationis et per

¹ Alio in loco declarabitur, quomodo sub physica Dei motione potest contingere in motu creaturae rationalis defectus, qui dicitur **peccatum**.

consensum vel electionem voluntatis. — In isto motu homo potest deficere peccando; sed quidquid est ibi de defectu, non est a virtute motiva Dei moventis, sed a libero arbitrio male disposito et claudicante sub physica Dei motione.

Tertius gradus physicae motionis est, qua homo convertitur ad Deum et de peccatore fit iustus, et incipit omnia velle et operari propter ultimum finem non modo formaliter sumptum, sed etiam materialiter; quia intendit tamquam finem specialem ultimum, ipsum Deum summe dilectum. — Atque in huiusmodi transmutatione de statu iniustitiae ad statum iustitiae nequit habere locum peccatum, in quod liberum hominis arbitrium tendit per dolorem ac detestationem; et peccatum ipsum remittitur. — In hoc motu liberi arbitrii per fidem et amorem in Deum, per odium et fugam in peccatum, voluntas est mota et non movens, solus autem Deus movens.

Quartus gradus physicae motionis est, qua homo movetur per gratiam actualem ad meritorie operandum utendo habitibus gratiae sanctificantis et caritatis et fidei, quae per caritatem operatur. — In hoc motu liberi arbitrii voluntas est mota et movens, nisi gratia actualis sit **gratia operans**, in cuius effectu voluntas non movet, sed est tantum mota. — Dum liberum arbitrium movet se sub ista Dei physica motione, **potest resistere, si velit**; sed sub huiusmodi motione numquam resistere vult; et implicat contradictionem, quod dum homo per gratiam actualem motus utitur ipsa gratia sanctificante et caritate, deficiat peccando. Peccatum enim non habet locum in ipso usu gratiae.

Quintus gradus physicae motionis est, qua homo iustus ac spiritualis *agitur* a Spiritu Sancto et mens humana operatur opera salutis supra modum humanum. — In hoc motu liberi arbitrii voluntas est mota et non movens, solus autem Deus movens; et homo habet rectum iudicium de rebus divinis secundum quamdam connaturalitatem ad ipsas; et operatur excellentissima opera virtutum, quae vocantur beatitudines et fructus Spiritus Sancti; et incipit esse perfectus in divinis, *non solum discens, sed et patiens divina*.

34. Omnes praedicti gradus perfectionis sic intelligendi sunt, ut in secundo includatur perfectio primi, et in tertio perfectio secundi, et in quinto perfectio omnium antecedentium, sed non e contra. — Ac quinque hic gradus, quos singulatim distinguit Divus Thomas (1. 2. qu. 68. a. 2. et 3; qu. 109. a. 1. 2. 6. 9; qu. 111. a. 2.), reducuntur ad tres determinatos ab ipso Angelico Doctore 1. 2. qu. 6. a. 1. ad 3. — Etenim omnis physica praemotio vel est voluntatis ante determinationem rationis per

consilium vel post consilium rationis determinantis vel supra omnem determinationem humanae rationis.

35. In summo gradu physicae praemotionis, qua creatura rationalis potest moveri et applicari ad operandum, veniunt collocandae motiones, quibus moventur **in via** viri sanctissimi et **in patria** omnes beati. — Haec altissima motio est, qua movebatur Christus Dominus, dum in terris visus et cum hominibus conversatus est (3. P. qu. 7.); qua etiam movebatur Beatissima Virgo, praesertim postquam ex suis visceribus genuit Deum et hominem (3. P. qu. 27. a. 4. et 5. et a. 3. ad 3), et qua moventur aliqui in hac vita iusti perfectissimi, de quibus Divus Thomas 1. 2. qu. 61. a. 5. et Sanctus Joannes a Cruce in opere, cui titulus „Subida del Monte Carmelo“ lib. 3. cap. 1.¹

¹ **D. Thomas** 1. 2. qu. 61. a. 5.: „Quaedam vero sunt virtutes iam assequentium divinam similitudinem, quae vocantur virtutes iam purgati animi; ita scilicet quod prudentia sola divina intueatur, temperantia terrenas cupiditates nesciat, fortitudo passiones ignoret, iustitia cum divina mente perpetuo foedere societur, eam scilicet imitando: quas quidem virtutes dicimus esse beatorum vel aliquorum in hac vita perfectissimorum.“ — De quibus **S. Joannes a Cruce** loco supra citato: „Y así de ordinario los primeros movimientos de las potencias de estas almas son como **divinos**; y no hay que maravillarse que lo sean, pues están transformados en **sér Divino** . . . Dios con particularidad mueve las potencias de estas almas; . . . y así las obras y ruegos de estas almas siempre tienen efecto. — Tales eran las de la gloriosa Madre de Dios, la cual estando desde el principio levantada à este alto estado, nunca tuvo en su alma impresa forma alguna de criatura que la divirtiese de Dios, ni por ella se movió; porque siempre su mocion fuè del Espiritu Santo.“

